

1510 stibus conspicerentur , cum reliquis mandatis misit . Illi itinere celeriter confecto , repertis in primo colle vadis flu- men transierunt : eodemque & circuitu & celeritate usi , magno clamore sublato , repente in hostes a tergo impe- tum fecerunt . qui nova re perturbati , cum reliquum ades- se exercitum crederent , & prælio ancipiti sibi esse decer- tandum existimarent ; atque ii , qui a fronte nostros susti- nebant , sibi veriti sæpe respicerent , pugnamque interim remitterent , nostri ardenter instarent : relicto ponte omnes se in fugam conjecerunt . Ea in fuga perplures interfecti sunt : capti equites cataphracti L. ex levioribus circiter ducenti , præfectique clari nominis sex , ad urbemque mis- si , & signa quatuor relata . Saornianus post hæc ad ur- bem rediit , magistratuque repudiato aliis in rebus majori se reipublicæ fore usui est pollicitus . Erat tum in urbe Phi- lippus Uladislai regis Pannoniæ legatus , qui a republica superiorum pensionum reliqua sibi dari postulabat . Ei Se- natus , quod pecunia propter quotidianos belli sumptus dependi minus posset , excusatione interposita , gemmas , purpuram , telasque cæteras sericas laneasque pro summa librarum auri trecentarum dari jussit : pauloque post eo- dem legato petente , ad reliquias res quadraginta sunt auri libræ numerato additæ : ipsi libræ quatuor dono curatæ . Ad Henricum etiam Britanniæ regem adolescentem Se- natus legatum creavit Franciscum Capellum , honoris il- lius & benivolentiaæ institutæ causa .

Hatriani , quod est oppidum inter Padi ostia , prædæ nomine ab Angelo præfecto classis sub reipublicæ impe- riū redacti , cum ab Alfonso ut ad se redirent sollicita- rentur , legatos ad urbem miserunt : velle se ab republica non recedere : itaque & qui sibi jus diceret reipublicæ nomine , & armatas naves , quibus se defendere ab Alfon- si contumeliis possent , suppliciter petere . Quamobrem Se- natus consultum factum est , Hatrianos defendi oportere , Senatui videri . Igitur & prætor eis datus Leonardus Bem- bus , & naves armatæ decem ad eos missæ : quibus præ- sidiis postea usi , in fide atque officio permanserunt : ta- metfū